




VINCENTIUS COSTANZI

QUAESTIONES CHRONOLOGICAE

I.

DE HELLANICI AETATE DEFINIENDA.

II.

QUO TEMPORE DAREUS, HYSTASPIS FILIUS, AD SCYTHIAM PERDOMANDAM PROFECTUS SIT.

Opuscula edita in ephemeride quae inscribitur
Rivista di Filologia e d'Istruzione Classica, XIX (1891) p. 489-512
nunc retractata in lucem prodeunt.

AUGUSTAE TAURINORUM
LITTERARUM FORMIS EXPRESSIT
VINCENTIUS BONA

MDCCCCI.

VINCENTIUS COSTANZI

QUAESTIONES CHRONOLOGICAE

I.

DE HELLANICI AETATE DEFINIENDA.

II.

QUO TEMPORE DAREUS, HYSTASPIS FILIUS, AD SCYTHIAM PERDOMANDAM PROFECTUS SIT.

Opuscula edita in ephemeride quae inscribitur
Rivista di Filologia e d'Istruzione Classica, XIX (1891) p. 489-512
nunc retractata in lucem prodeunt.

AUGUSTAE TAURINORUM
LITTERARUM FORMIS EXPRESSIT
VINCENTIUS BONA

MDCCCCI.

ATILIO BVTTI

SODALI OPTIMO

CONLEGAE CARISSIMO

HOC MNEMOSYNON

QVALECVMQVE

S.

...ἀνὴρ ὅστις τρόποισι συντακῇ, θυραῖος ὤν,
μυρίων κρείσσων ὁμαίμων ἀνδρὶ κεκτῆσθαι φίλος

EURIP. *Orest.* v. 805-806.



QUAESTIONES CHRONOLOGICAE

I.

De Hellanici aetate definienda.

Cum quae de Pamphilae (1) notissimis illis rationibus Apollodoro vindicandis Dielsius subtiliter animadvertit, tum maxime quae de earum probabilitate disseruit (2), quamvis non omni ex parte probanda, iecerunt me iudice fundamenta disputationis de fide et auctoritate horum omnium indiciorum, quae ad aetates scriptorum pertinent. Ac primus quidem exortus est Uldaricus de Wilamowitz-Moellendorff, qui, Dielsium refutans, contendit Apollodorum, idoneis testibus non suppetentibus, commenticios numeros interdum constituere maluisse quam in medio relinquere quae nequaquam sciri possent: perperam deinde eius diligentiam apud veteres laudibus cummulatam esse: tum eundem perversa industria coniungendae viri cuiuslibet ἀκμῆς cum aliquo in eius vita insigni ac memorabili eventu a vero aberrasse: eum denique ab auctoribus locupletioribus vehementer redargui et refelli (3). Haec equidem contendenti non omnino repugno, atque adeo ea quae de anno quo Thucydides natus sit, disputavit, firmissimis fundamentis niti constituo: nihil enim de Thucydidis aetate cogitur et efficitur nisi eum anno 425 a. C. n. annum trigesimum excessisse quippe qui tum praetoris munere fungeretur: sed vix hodie quisquam inveniatur

---

(1) Gell., *Noctes Atticae,* XV, 23: « Hellanicus, Herodotus, Thucydides, historiae scriptores..... non nimis longe distantibus fuerunt aetatibus. Nam Hellanicus initio belli peloponnesiaci fuisse quinque et sexaginta annos natus videtur, Herodotus tres et quinquaginta, Thucydides quadraginta. Scriptum est hoc in libro undecimo Pamphilae ».

(2) *Chronologische Untersuchungen über Apollodors Chronika* (*Rheinisches Museum*, 1876, I), p. 12, 14, 48, 49, 50.

(3) *Memoriae oblitteratae* (*Hermes*, 1876, p. 291).

*

qui Apollodori testimonio fretus audeat contendere anno 471 a. C. n. Thucydidem natum esse (*Hermes*, ibid., p. 292).

Atque ea quidem quae de Hellanici aetate definienda disputavit magnopere probanda videntur, praesertim cum Dielsii audacissimas opiniones refellit, qui ut Apollodori auctoritatem tueatur, non dubitat abiudicare ab Hellanico testimonia de rebus ad Antigenis archontis (406-5) annum pertinentibus, ob eamque rem suspicatur in verbo Ἑλλάνικος corruptelam latere, atque Θεόπομπος ἐν Ἑλλανικοῖς restituendum esse (1). Itaque haud immerito Wilamowitzio praeeunte plerique viri docti Dielsii sententiam exploserunt (2). Attamen vix res expedita est omni ex difficultate, cum rerum scriptor, pinguis scilicet ingenio atque ad artem criticam factitandam ineptus, diligentissimus tamen in veterum historicorum libris pervolutandis, Dionysium Halicarnassensem dico, Hellanicum ante Herodotum floruisse testetur (3). Utinam ne in Dionysii auctoritate et fide acquiescere cogeremur, sed Hellanici opera ipsi tractare possemus! Sed in horum iactura, Dionysii testimonium spernere temeritatis est, praesertim cum Thucydides inducat Hellanicum attingentem quidem res ab Atheniensibus post bellum Persicum gestas, sed ita ut facile opineris Thucydidem de Hellanico quasi de

---

(1) *Rhein. Mus.*, ibid., p. 51: I. Schol. Arist. Ran., v. 694, p. 295, 33D: « Τοὺς συνναυμαχήσαντας δούλους Ἑλλάνικός φησι ἐλευθερωθῆναι... διεξιὼν τὰ ἐπὶ Ἀντιγένους τοῦ πρὸ Καλλίου » — II. ib., 33, p. 275, 34: « πρὸς τοὺς χρόνους· ὅτι τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Ἀντιγένους περὶ Ἀργίνουσαν ἐνίκων ναυμαχίᾳ οἱ Ἀθηναῖοι συμμαχούντων δούλων..... οὕστινας ἠλευθέρωσαν » — III. Ib., 720, p. 2[illegible]6, 11: « τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Ἀντιγένους Ἑλλάνικός φησι χρυσοῦ νόμισμα κοπῆναι καὶ Φιλόχορος ὁμοίως τὸ ἐκ τῶν χρυσῶν νικῶν..... » — pag. 52: « Und nun vollends, wie konnte Thukydides seine Atthis — denn in dieser müsste doch wohl das Fragment untergebracht werden — so erwähnen wie es thut, I, 97...? » — « ...Liegt den genannten Fragmenten I und III (suspicatur enim Dielsius scholion II ex I concinnatum esse)..... eine genaue Ueberlieferung zu Grunde, so ist der Name verkürzt und verderbt aus Θεόπομπος ἐν Ἑλλανικοῖς. Lehrreich für diese in zwei Stadien eingetretene Metamorphose ist besonders Stephanos ».

(2) *Hermes*, ibid., p. 293: « At quis tandem historiarum locum archontis nomine significavit? In annalibus tantum fieri id potest, in annalibus factum est... ». Vix enim credibile scholiastam aut scholiastae auctorem ipsum ad annalium formam et tenorem testimonium accommodasse.

(3) *Epist. ad. Cn. Pomp.*, p. 129.

auctore qui iamdudum obierit aut obmutuerit, mentionem inicere; nec non neglegentiae nimiaeque brevitatis eum arguat (1).

Nihilo minus — ut praetercam opus, quod apud veteres Hellanici nomine circumferebatur, exhibuisse loco quodam totidem fere verbis quae eadem Herodotus de Zalmoxide tradidit — inde enim a Carolo Mueller (FHG I. p. XXVI) vix est dubitatum quin hoc opus aut certe ille locus falso Hellanico tributum fuerit (2) — constat inter omnes Hellanicum adhibuisse temporum discribendorum artem prae Herodotea longe provectam et expolitam, atque corpus fabularum nosse quod Herodoti aetate nondum coaluisse videatur. Verum enimvero hoc aliquid ponderis habet, non adeo tamen ut dubitatio plane tollatur. Quod enim attinet ad artem temporum discribendorum in Hellanico provectiorem agnoscendam, velim attendas in his rebus multum valuisse — nec hodie non valent — uniuscuiusque studia et propensiones: quodsi vero Hellanico innotuit fabularum corpus magnopere auctum prae eo quod Herodoto innotuisse videatur, animadvertendum censeo nihil admirationis habere quod scriptor vetustior sequatur fabulas in compagem provectiorem redactas, iunior autem veterum opinionum tenacior esse malit (3). Quam multos enim viros doctos huius aetatis aequales Hyacinthi Gimmae potius quam Theodori Mommsen aut Eduardi Meyer

(1) I, 97: « ἔγραψα δὲ αὐτὰ (τὰ μεταξὺ τοῦδε τοῦ πολέμου καὶ τοῦ Μηδικοῦ) καὶ τὴν ἐκβολὴν τοῦ λόγου ἐποιησάμην διὰ τόδε ὅτι πρὸ ἐμοῦ ἅπασι ἐκλιπὲς τοῦτο ἦν τὸ χωρίον καὶ ἢ τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ ξυνετίθεσαν ἢ αὐτὰ τὰ Μηδικά· τούτων δὲ ὅσπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ Ἑλλάνικος, βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη ». Obiter animadverto hodie quasi τόπον κοινὸν in plerisque scriptis reperiri a Thucydide ita castigatum Hellanicum quod per aestates et hiemes tempora non definierit. Vereor equidem ut verba βραχέως καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ita intellegi liceat.

(2) Vide Heil, *Logographis qui dicuntur num Herodotus usus esse videatur*, p. 36. Hoc certe tenemus, etsi Uldaricus de Wilamowitz-Moellendorff (*Aristoteles und Athen.*, II, p. 19. Adn. 10), genuina fuisse Νόμιμα βαρβαρικά Hellanico tributa contendit. Verba enim ex hoc opere desumpta referunt rerum exornatorem potius quam ieiunum ἀναγραφέα.

(3) Niese, *Die Chroniken des Hellanikos* (*Hermes*, 1888, 81). Confr. 85: « Unverkennbar ist ferner bei diesem die attische Vorgeschichte weiter vorgeschritten, als bei dem kaum ein Menschenalter älteren Herodot, der den Erichthonios nicht kennt und nur vier Könige vor Theseus zu haben scheint, während nach fr. 82 Hellanikos mehr gekannt haben muss..... Dieser steht mitten in der Sagenbildung und ist ganz und gar modern ».

crederes? (1) Praeterea cum innituntur eo quod Herodotus non excusserit seriem sacerdotum Argivarum ab Hellanico elaboratam et Atthidem ipsam, videant ne vulgatae inde ab Apollodoro opinioni plus quam par est opponatur. Nam Herodotus anno 444 Thurios migravit, reversus autem Athenas post annum 432, paulo post obiit. Itaque cum Hellanicus aequalis, quamvis senior, Herodoti inducatur, multa opera composita et in vulgus edita fuisse posse post Herodoti historias conscriptas, nemo est quin videat; et hercle etiam novissimum Theodori Mommsen opus quod « Strafrecht » inscribitur editum est post utrunque volumen historiae Romanorum ab Hectore Pais conscriptum.

Omnes difficultates tolli posse existimavit Lipsius cum statueret scholiastam Aristophanis hausisse ex fonte ubi testimonia ex Hellanici itemque Philochori desumpta reperirentur, atque in iis exscribendis res Antigene archonte gesta, quae solum Philochorus persecutus esset, falso ab Hellanico quoque enucleari fecisse (2). Quam coniecturam ut improbarem, mihi satis fuit Aristophanea scholia revolvere. Scholiastes enim ad Hellanicum potissimum respicit (V. p. 6 adn. 1), cum Philochorum tantum occasione oblata, ut ostendat utrunque annalium scriptorem inter se concinere, proferre videatur. Quid igitur colligendum est? Fateor me in hac re magna dubitatione teneri ac magnopere dubitare num res umquam expediri possit: quamquam existimo non immerito viros doctos Wilamowitzii sententiam praetulisse, qui Hellanicum post Herodotum floruisse statuerit. Nihilominus Thucydidis verba, quibus Hellanicum memorat, eam quodammodo labefactant et efficiunt ut dubitatio exoriatur num Atthidis reliquiae ab Aristophanis scholiasta servatae referri debeant ad Hellanicum ipsum an ad alium qui Hellanici Atthidem, fortasse scriptoris morte repente interruptam, auxerit subtexendis eodem ordine omnibus quae deinceps gesta sunt; non aliter ac

---

(1) Vide Paul Guiraud, *La main d'œuvre industrielle dans l'ancienne Grèce*, p. 6, adn. 2: « L'origine phénicienne de Cadmos est indubitable (!) » et paulo post, p. 7: « ...certaines de ces dynasties, les Pélopides notamment, étaient originaires d'Asie (!) ». Quis audeat increpare Hecataeum Milesium qui in fabularum vi et significatione interpretanda longe a veritate aberrat, cum exeunte saeculo XIX p. C. n. auctor sane doctus et diligens tralaticias quasdam opiniones, iam dudum labefactatas, ne addubitandas quidem suspicetur?

(2) *Chronologie des Hellanikos* in *Leipziger Studien*, IV, 153.

Demophilus, Ephori filius, historias interruptas ante Bellum Sacrum, eodem filo usus usque ad Perinthum captam deduxit (1). Haud equidem nescius sum me opiniones vulgatas labefactasse potius quam ostendisse quae sententia amplectenda sit; sed nullius utilitatis in antiquitate explananda non est minuere confidentiam in rebus parum certis, ne coniecturae quamvis probabiles pro explorata veritate venditentur. Veri similius igitur quam verius habeamus Hellanicum Herodoto iuniorem fuisse, atque meminerimus semper esse quod in hac quaestione haereamus, ut, si qua oriatur controversia, quae ex utriusque historici aetate constituenda maximo opere pendeat, vim et naturam huius argumenti recte expendamus.

---

(1) Vide Beloch, *Griechische Geschichte*, II, 415, adn. 2. Diod. XVI, 14, 76; Athen. VI, 232 C. At si Diodori historiarum liber XVI et Athenaei Dipnosophistarum VI interissent, undenam huius rei notitiam comparare possemus? Itaque si nemo veterum auctor est alium historicum Hellanici Atthidem additamentis auxisse, non ideo hoc prorsus negandum putaverim.

VINCENTIUS COSTANZI

QUAESTIONES CHRONOLOGICAE

I.

DE HELLANICI AETATE DEFINIENDA.

II.

QUO TEMPORE DAREUS, HYSTASPIS FILIUS, AD SCYTHIAM PERDOMANDAM PROFECTUS SIT.

Opuscula edita in ephemeride quae inscribitur
Rivista di Filologia e d'Istruzione Classica, XIX (1891) p. 489-512
nunc retractata in lucem prodeunt.

AUGUSTAE TAURINORUM
LITTERARUM FORMIS EXPRESSIT
VINCENTIUS BONA

MDCCCCI.

magnopere sibi conciliaret. Ego autem censeo Dareum nisi tyrannorum fides in se spectata esset, vix iis commissurum fuisse pontem tuendum, quo rescisso spes in Asiam redeundi sublata esset (1). Quod autem probabilitatis speciem prae se fert hoc est, quod regem, cum Susa rediturus esset, auctore Herodoto scimus praefecisse Artaphernem Sardibus (2): Artaphernem autem huic satrapeae praefuisse anno 507, cum Athenienses Cleomene eiecto et Clistene revocato misissent ad eum legatos (Her., V, 72), qui foedus inirent. Velim equidem animadvertas in verbo καταστήσας vim instituendi profecto inesse, non ita tamen ut prorsus negemus Artaphernem ante Scythicam expeditionem Lydiae praeesse potuisse. Nam cum Artaphernes regem in Scythiam proficiscentem secuturus esset, oportuit alii provincia regenda committeretur: cum autem in Asiam rex rediret, fieri potuit ut rex iterum Arthaphernem satrapeae praeficeret (3). Atqui nihil dubitandum est quin Herodotus nulla ratione habita imperii anteacti dicere potuerit καταστήσας, praesertim cum nemo Graecam esse formam ἀνακαταστήσας contendere audeat. Praeterea casu et fortuito fieri potest ut Herodotus, ad Artaphernis imperium constitutum significandum, verbum καταστήσας usurpaverit, ad Otanis, ἀποδέξας: tamen non possumus facere quin hoc vocabulo aptius imperium prorsus instauratum designari arbitremur.

Nec quidquam licet colligere ex eo quod, cum Dareus in Scythiam proficisceretur, Barca a Persis bello petebatur. Efficitur vero Herodoto adstipulandum esse ex hoc quod Graecorum tyrannorum tantum classe Dareus in Scythiam proficiscens utebatur, cum

(1) Herod. IV, 138: «ἦσαν δὲ οὗτοι (οἱ τὴν Μιλτιάδεω γνώμην ἑλόμενοι) οἱ διαφέροντες τὴν ψῆφον καὶ ἐ ο ν τ ε ς λ ό γ ο υ π ρ ὸ ς βασιλέος, Ἑλλησποντίων μὲν τύραννοι Δάφνις δὲ Ἀβυδηνὸς καὶ Ἵπποκλος Λαμψακηνός...». Itaque etiamsi voci de quaestione agitata num pons rescindi deberet fides tribuatur, liquet ex Herodoti testimonio Hippoclum dudum in honore apud regem Persarum fuisse.

(2) Herod. V, 25: «...καταστήσας Ἀρταφρένεα ἀδελφεὸν ἑωυτοῦ ὁμοπάτριον ὕπαρχον εἶναι Σαρδίων, ἀπήλαυνε ἐς Σοῦσα ἅμα ἀγόμενος Ἱστιαῖον, Ὀτάνεα δὲ ἀποδέξας στρατηγὸν εἶναι τῶν παραθαλασσίων ἀνδρῶν ».

(3) Vide Herod. III, 89: « ποιήσας δὲ ταῦτα ἐν Πέρσῃσι ἀρχὰς κατεστήσατο εἴκοσι, τὰς αὐτοὶ καλέουσι σατραπείας ». Sed satrapeae ante Dareum erant, nec quidquam aliud Dareus fecit nisi satrapeis praefecit suos ipsius legatos. — Vide VI, 40: « Οὗτος ὁ Κίμωνος Μιλτιάδης νεωστὶ ἐληλύθεε (= ἀνεληλύθεε) ἐς Χερσόνησον ».

classis Phoenicum in Africa versaretur ad bellum cum Barcaeis gerendum: quin etiam si ne haec quidem innotuissent, non ideo ab Herodoto testante τὸν αὐτὸν χρόνον (HER., IV, 145) utrumque bellum gestum esse, desciscendum putarem. Sed vereor ut ex tempore expeditionis adversus Barcam quidquam proficiatur ad definiendum tempus belli Scythis illati; nam quod attinet ad tempus cum ad Carthaginienses venerunt legati a Persarum rege missi qui denuntiarent ne humanas hostias immolarent aut canina carne vescerentur neve corpora inhumarentur, et peterent auxilium adversus Graecos (IUSTIN., XIX, 1) — parum liqueret, etiamsi constaret Persas ad Euhesperidas imperium suum propagasse ob eamque rem cum Barcaeis debellatum esse: verum enimvero hoc incertissimum est, si quidem ut Persae cum Carthaginiensibus se coniungerent aut bellare possent, non oportebat utrorumque imperia finitima esse. At tandem quis sibi persuaserit ante pugnam Marathoniam legatos a Dareo ad Carthaginienses mitti potuisse ad ineundum foedus contra Graecos? Sed etiamsi facere non possemus quin Persarum ad Carthaginienses legatos statim post Barcam perdomitam missos esse opinemur, non idcirco adigimur ut statuamos Persas Barcaeis bellum intulisse multo ante Ionum seditionem (1). Quodsi

(1) Monendum censeo nihil ex fatis, quibus Pheretima et Arcesilaus III usi sunt (Herod. IV, 162-167; 200-205), ad tempora definienda colligi posse. Herodotus enim tradit (IV, 162) Arcesilaum III, postquam seditione collabefactus Cyrene discessisset, profugum Samum petisse, Pheretimam autem Cyprum ad Euelthontem confugisse. Aiunt nimirum Polycratem tum Sami regnasse: quod fieri potest, quamquam nec loco allato nec cum Polycratis imperium persequitur, Herodotus id memorat. Quod autem ad Euelthontem attinet, Herodotus (V, 104), cum Cypriorum defectionem post Sardes combustas enucleat, dicit Onesilum, fratrem iuniorem Gorgi, filium fuisse Chersidos (Χέρσιος), filii Siromi, qui Euelthontis filius esset: ita ut quavis breve cuiusque regnum constitueris, vix Euelthon ad quem Pheretima confugerit, esse potuerit idem quem posteriore loco (V, 104) memorat (Vide Steinii adnot. ad l.). Quocirca aut alius Euelthon eiusdem nominis fuit (fortasse Gorgi et Onesili frater, qui nullo filio relicto obierit), aut Herodotus erravit. Atque ut intellegas quomodo Herodotus hoc loco parum sibi constare potuerit, oportet memineris quintum librum exaratum aliquanto post quartum, ut Adolphus Kirchhoff demonstravit (*Entstehungszeit der herodotischen Geschichtswerkes*, p. 15-16) fretus comparatione loc. IV, 99 et V, 77, ubi Propylaea Mnesiclea memorat. Quodsi Steinius (*Bursian's Jahresberichte*, 1879, p. 24) Propylaea ista non fuisse Mnesiclea contendit, diserte eum refutavisse videor (*Memorie dell'Istituto Lombardo*, 1891, p. 214-217): gaudeo

confugiunt ad Herodoti testimonium (V, 46) Dorieum in Siciliam immigrasse tradentis, et statuunt Dorieum pugnantem cum Carthaginiensibus et Elymis occubuisse non post annum 510 a. C. n., ob eamque rem contendunt etiam ex hoc terminum ante quem expeditio adversus Barcaeos et Scythas gesta sit definiri posse — tradi enim Dorieum bellum cum Carthaginiensibus gessisse tempore cum legatio, quam supra memoravimus, ex Persis Carthaginem venisset — vehementer falluntur. Nam Herodotus Doriei casus post Anaxandridae mortem persecutus, testatur in Siciliam post Sybarim eversam delatum esse ut auctore Phoebo Heracleam coloniam conderet, ibique eum ceterosque socios, ἐπείτε ἀπίκοντο (V, 46) devictos a Poenis omnes interemptos praeter Euryleontem. At tandem quis ex verbis ἐπείτε ἀπίκοντο collegerit Dorieum statim post in Siciliam adventum periisse? Fac tamen Herodotum id significasse: Timaei certe testimonio vehementer refutaretur, qui (Diod., IV, 23) affirmat, cum colonia a Dorieo condita magna incrementa cepisset, eam Carthaginienses, veritos ne Poenorum in Sicilia principatum frangeret, evertisse. Itaque si Dorieus Siciliam petiit post Sybarim eversam, aliquot anni oportuit

---

autem quod Eduardus Meyer (*Forschungen der alten Geschichte*, I, 199) cui mea commentatio non innotuerit, mecum consentit. — Praeterea etiamsi Arcesilaum III ad Polycratem confugisse statuamus, ob eamque rem Pheretimam ante Polycratis mortem Cyprum petisse, neminem fugit statim post haec Aryadnem, Aegypti satrapam, non potuisse bellum Barcaeis inferre. Arcesilaus enim aliquamdiu Sami commoratus est (Herod. V, 163); Pheretima rursum Cyrenen redierat ibique cum degeret certior facta est de filii caede (Herod. V, 165). — Nec quidquam colligere licet ex eo quod Aryadnes satrapeae Aegyptiorum praeerat cum Pheretima Cyrenen rediit: nam quando Aryadnes satrapa Aegyptiorum a Cambyse constitutus (Herod. V, 166) imperium amiserit, non liquet: quin etiam proclive ad suspicandum est etiam post pugnam Marathoniam eum Aegypto praefuisse (Herod. V, 166: Confer Busolt, o. c., II², 532, adn. 2). Dareus enim, si Herodoto adstipulamur, repetiit ab Aryadne poenas Aegyptiorum defectionis: ex Herodoti autem testimonio (VII, 1) τετάρτῳ ἔτει Αἰγύπτιοι ὑπὸ Καμβύσεω δουλωθέντες ἀπέστησαν ἀπὸ Περσέων efficitur et cogitur Herodotum Aryadnis poenas cum hac novissima defectione coniunxisse. Etenim hoc facile intellegitur ex quo patuit bovem Apim, cuius mortis poenam Dareus exigere velle simulavit (Poliaen. VII, 11, 7), repertum esse aut anno 490 a. C. n. aut paulo ante (Vide Busolt ibid.). Vide contra Aristotel. *Rhetor.*, II, 20; unde nihil certissimi effici potest.

dilaberentur ut civitas opibus floreret (1). Conspirant quae Herodotus (VII, 152) a Gelone obiici legatos Atheniensium facit, cum venissent ut Gelonem orarent ne pateretur Graeciam a Xerxis catervis obrui: Gelonem enim subiratum respondisse sibi exoranti auxilium quo facilius Poenorum vim propellere ac de Doriei caede ab iisdem exigere posset, Graecos non paruisse. Sive Gelonis oratio vera sive ficta est, nihil interest: hoc vero non nihil ponderis habet quod Herodotus inducit Dorieum bello Punico implicitum fuisse cum Gelo potentiam adeptus esset (2). Nihilo minus temporibus optime discriptis oboriuntur difficultates in coniungendis Doriei fatis cum Gelonis imperio: hic enim anno circiter 485 a. C. n. tyrannus Syracusanorum factus est, cum Gelae praeesse coepisset non ante annum 491 a. C. (3), quo Cleomenes qui Dorieo superfuerat, obiit. Verum tamen quamquam non audeo affirmare ipsum Gelonem cum Dorieo foedus inisse, animadverto Gelonem inde ab anno 498 praefectum equitum apud Hippocratem magno in honore fuisse, ob eamque rem sibi maiora reipublicae negotia sibi vindicare potuisse; nec non consentaneum est Gelonem, cum Dorieus a Poenis bello peteretur, cogitasse num ei auxilio subveniri posset.

---

(1) De Dorieo vide Herod. V, 42-48. Sive Crotoniatis opitulatus est (V, 44-45) sive id Sybaritae confinxerunt, nihil refert. Herodotus utique post Sybarim eversam (ann. 510) inducit Dorieum in Siciliam immigrantem. At vero, ut Euryleon posset Minoa, Selinuntiorum colonia, potiri et Pythagoram tyrannum Selinunte eiicere, viribus maioribus quam paucis profugis certissima ratione utebatur. Itaque Herodoti testimonium cum Timaei consentit et coniurat amice. Diodorum autem Timaei historias, quamvis imperite, expilavisse, post eximias Volquardseni curas inter omnes constat. Vide Holm, *Geschichte Siciliens,* I, 195-196 et adnot. ad pag. 195, et Busolt, o. c., II², p. 756 adn. 5 et p. 757). Uterque interpretatur Herodotum quasi Dorieus in Siciliam devectus statim occubuerit; quorum sententiam, ut supra dixi, explodendam duco.

(2) Si antecapta persuasio ab historicorum mentibus abesset, profecto minime hariolati essent in intellegendo disertissimo Herodoti testimonio, quod adeo detorserunt, ut statuerent aut Atheniensium legationem Syracusas pervenisse statim ante pugnam Himerensem (Holm, o. c., I, 209, 416), aut rationem temporum consulto neglectam esse (Meltzer, *Geschichte der Karth.*, I, 495). Vide Busolt, o. c., II², p. 790, adn. 1.

(3) Aristot., *Pol.*, V, 12: « Γέλων μὲν γὰρ ἑπτὰ τυραννεύσας τῷ ὀγδόῳ τὸν βίον ἐτελεύτησε ». Timaeus autem (Diod. XI, 38) testatur eum mortuum esse Timosthene archonte (478/7). Utut de his indiciis cogitatur, vix Gelo post annum 485/4 regnare coepisse potuit (Vide Busolt, o. a., II², p. 779, adn. 3).

Igitur cum demonstraverimus omnia indicia quae ad statuendum terminum ante quem Dareus in Scythiam invasisset, inania aut quidem incertissima esse, testimonium quoddam Herodoti excutiendum ducimus, quod recte intellectum, antecapta persuasione remota, fortasse confirmaturum est sententiam opinantis multo recentius fuisse quam vulgo creditur bellum a Dareo Scythis illatum: Herodotus enim tradit Miltiadem (VI, 40) coactum esse relinquere Chersonesum ut Scytharum agmina a Dareo excitata vitaret. Quando id Miltiades fecerit, infra videbimus: nunc vero inquirendum est Herodoto in hoc fides tribuenda sit necne. Nimirum alio loco (IV, 137-139) Herodotus testatur, Miltiadem, cum pontem super Histrum iactum cum ceteris tyrannis tueretur, Scythis iubentibus rescindere assentiendum esse declarasse: Histiaeum autem ei vehementer restitisse, cum ostenderet, Dareo in inhospitis Scytiae regionibus relicto, fore ut omnium tyrannorum imperia corruerent. Velim equidem attendas num revera Dareus postea in Histiaeo tantam fiduciam habuisse videatur, ut in tralaticia voce plane acquiescendum sit! (1) Praeterea quamquam minime veri dissimile, ut quibusdam videtur (2), Scythas invasisse fines imperii Miltiadis, qui ab iis fecisset, tamen neminem fugit longe addubitanda esse quae de viris aliquo insigni facinore claris hominum sermone propagari soleant. Miltiades enim ad Marathonem Persas devicit: ex hoc videlicet facile consequebatur ut haberetur semper incensus inexpiabili in Persas odio fuisse, ob eamque rem, ut Graecorum civitates liberaret, patrocinatum esse Scythis Persarum regis perniciem suadentibus. Quid mirum si quae eius ingenio convenirent decursu temporis revera facta esse existimarentur? Ac profecto nemo, quin sit in arte critica peregrinus atque hospes, facile non intelleget veri similius vocem, qua Miltiades Scythas effugerit, colorem opinionis antiquioris referre, cum altera, qua metuens Darei iram reliquerit Chersonesum, studium accommodandi mores

(1) Cfr. Herod. V, 24, unde liquet Histiaei fidem Dareo suspectam fuisse: cfr. V, 35, unde manifestissime apparet Dareum haud iniuria de Histiaei fide suspicatum, et VI, 1, ubi Artaphernes inducitur recte auguratus omnes turbas ab Histiaeo esse excitatas.

(2) Cfr. Thirlwall, *History of Grece*, vol. II, App. II, p. 486, ch. XIV, p. 226-229. Hic coniecit Miltiadem ante pugnam Marathoniam, ut summum imperium adipisceretur, consulto hanc de rescissione pontis fabellam confinxisse. Hoc vero hodie ne dignum quidem est quod refellatur.

Miltiadis ad famam quam per Marathoniam pugnam sibi comparaverit, prorsus patefaciat (1). Ut brevi praecidam, cum Herodotus Miltiadem effugisse testetur, tenendum censeo Miltiadem Scythas effugisse, etiamsi plerique historici Herodoti auctoritate despecta deteriores auctores sequi maluerunt: quod cum statuerimus, viam communitam quidem habemus ad rectam temporum rationem assequendam, ut paulo post videbimus. Quis vero repugnante Herodoto auctor fuerit Miltiadem reliquisse Chersonesum non ut Scytharum impetum vitaret, sed ut irae Darei regi se subtraheret, non liquet: sed cum id Cornelius Nepos (*Miltiad. Vit.* 3) tradat et veri simillimum sit Cornelium Nepotem ex Ephoro aut ipsum hausisse aut — quod probabilius est — per alios scriptores Ephori testimonia retulisse — recte suspicari possumus Ephorum, suae consuetudini obsecutum, cum ex Herodoto hausisset quod ad consilium inter tyrannos agitatum de rescindendo ponte ad Histrum pertinerent, atque eum sibi parum constare opinaretur, qui Scythas fines Miltiadis imperii invadentes faceret, sustulisse difficultates ita ut statueret Miltiadem redisse Athenas, veritum ne Dareus a se poenas exigeret.

At quaestio impedita est propter obscuritatem Herodotei loci, qui interpretum ingenia mirum quantum torsit et varie intellectus est. Nimirum cum ex eo intellegendo quaestio de tempore quo Dareus ad Scythas perdomandos sit profectus, magna ex parte pendeat, pretium operae est locum exscribere et quae recentiores protulerint, breviter referre. Itaque Herodotea verba ut in libris manuscriptis leguntur haec sunt (VI, 40): Οὗτος ὁ Κίμωνος Μιλτιάδης νεωστί μὲν ἐληλύθεε ἐς τὴν Χερσόνησον, κατελάμβανε δέ μιν ἐλθόντα ἄλλα τῶν κατεχόντων πρηγμάτων χαλεπώτερα. τρίτῳ μὲν γὰρ ἔτεϊ τούτων Σκύθας ἐκφεύγει· Σκύθαι γὰρ οἱ νομάδες ἐρεθισθέντες ὑπὸ βασιλέος Δαρείου συνεστράφησαν καὶ ἤλασαν μέχρι τῆς Χερσονήσου ταύτης..... ταῦτα μὲν δὴ τρίτῳ ἔτεϊ πρότερον ἐγεγόνεε τῶν τότε μιν κατεχόντων. Ac profecto verba τρίτῳ μὲν γὰρ ἔτει τούτων

(1) Postquam haec commentatiuncula, quae nunc retractatam iterum in vulgus edo, in lucem prodiit, vidi Ed. Meyerum obiter Herodoto patrocinatum esse in ephemeride, cui « Philologus » inscriptio est (ann. 1889) (*Forschungen der alten Geschichte*, I, 16, adn. 1, qui liber impressus est Hali Saxonum, ann. MDCCCXCII).

Σκύθας ἐκφεύγει plerique intellegunt ita quasi Herodotus dicat *tertio anno post haec* i. e., *postquam Chersonesum petiit.* Nec dubitandum est grammaticam tantum rationem respicienti haec eam vim habere (1); sed quomodo locus ita intellectus quadret ad ea quae insequuntur ταῦτα μὲν δὴ τρίτῳ ἔτει πρότερον ἐγεγόνεε τῶν τότε μιν κατεχόντων, nihil video: luce enim clarius est ista verba paucis exprimere idem quod paulo ante Herodotus dixit κατελάμβανε δέ μιν ἐλθόντα κτλ. Quocirca Steinius, Herodoti interpres, si ullus fuit, peritissimus, recte locum intellectum suspicatus neglegentia librariorum depravatum esse, particulam πρό, quae ante τούτων excidisset, reponere non dubitavit. Scio equidem Steinii emendationem improbatam esse (2); sed quin eam sermonis contextus magnopere efflagitet — si τρίτῳ ἔτει τούτων nullo pacto potest significare *tertio anno ante haec* — nemo iam dubitabit, cum viderit quanta infelicitate viri doctissimi quidem vulgatam lectionem eidemque interpretationem congruentem conati sint defendere. Nam Herbstius cum animadverterit ea verba interpretes vexavisse et perverse intellecta esse, statuit omnes difficultates dilui, si quis meminerit Herodotum pro ingenio et natura orationis antiquiorum, κατὰ παράταξιν potius quam καθ' ὑπόταξιν contexere solitum esse sermonem: ita ut verba hunc sensum praebere debeant: « Cum Miltiades Chersonesum petiisset, obiit calamitates quae adsidue inter se exceperunt, quarum posterior gravior superiore fuisset » (3). At nemo qui Herodoti locum perlegerit, Herbstii commenta probaverit (4): etenim

---

(1) Equidem praefracte negare non audeam Graecum esse hunc genetivum ad significandos annos qui ante rem acti sint: exempla tantum desidero. Vide adnotationem praegressam, unde liquet E. Meyer nulla medela adhibita recte intellexisse Herodoti locum.

(2) Hoc tamen ego quoque explodendum duco quod Steinius prius κατεχόντων in καταλαβόντων mutavit. Etenim participium praesens fungens vice temporis imperfecti ad orationis contextum optime quadrat, cum Herodotus respiciat non solum ad Scytharum invasionem sed ad fortunam Miltiadis quae illam consecuta est, qua imperio suo carere coactus sit.

(3) *Die Arbeiten über Thucydides* in « Philol. », p. 146: « Als dieser Miltiades eben nach den Chersones gekommen war, traf ihn Missgeschick über Missgeschick, von den eines noch schwerer war als andere ».

(4) Herbstius (ibid., p. 147) hanc Miltiadis vitae casuum suae disputationi cohaerentem seriem concinnat (vide pag. 19 sq.):

a) 516 kommt er zum ersten Mal nach dem Chersonesos;

Herodotus non in universum loquitur, sed certas quasdam res cogitatione complectitur, ut verbum τούτων satis demonstrat. Herodotus videlicet in hanc sententiam loquitur, ut Miltiades paulo ante Phoenicum classis adventum redierit in Chersonesum, reversum autem novae calamitates graviores praeteritis oppresserint. At quae fuerint istae praeteritae calamitates — cum ante silentio praetermiserit — ratus declarandum, dicit: *tertio* (num τρίτῳ legi debeat, videbimus posthac) *enim anno ante haec Scythas effugit.* Conspirant — id quod supra animadvertimus — verba retexendi causa usurpata ταῦτα μὲν δὴ τρίτῳ ἔτει ἐγεγόνεε τῶν τότε μιν κατεχόντων. Itaque locus plane difficultatibus expeditus esset, si Scythae ἐρεθισθέντες ὑπὸ Δαρείου βασιλέως revera potuissent Chersonesum invadere aliquot annis post Ionum seditionem coortam.

Sed locum Herodoteum corruptela laborare oportet nobis persuadeamur, cum lectio τρίτῳ nec ab iis qui intellegunt *tertio anno post haec*, nec ab iis qui *ante*, facere videatur. Atque Herbstius quidem suspicatus alterum τρίτῳ (ταῦτα μὲν δὴ τρίτῳ ἔτει πρότερον ἐγε-

---

b) 513 weicht er aus dem Chersones vor Persern (?) und Scythen;

c) 507 wird er von den Dolonkern nach den Chersones zurückgeführt, als die Skythen denselben nach 6jährigem Aufenthalt wieder verlassen haben, und nimmt bald darauf die Insel Lemnos;

d) 494 weicht er aus dem Chersones zum zweiten Mal und entkommt nach Athen.

Ad *b*) intellegendum confer τρίτῳ ... ἔτει τούτων; intellegitur autem *c*) ex correctione τρίτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει πρότερον τῶν τότε μιν κατεχόντων.

Quantum autem ad *a*) spectat, animadverto Herbstium ex Pisistratidarum mentione collegisse Miltiadem ante annum 514 in Chersonesum missum esse. Quod equidem negare non audeo atque adeo longe veri simile duco: tamen pro certissimo nemo id habendum contendit, cum nihil sciamus effici posse ex Herodoti, qui solus auctor de his rebus superest, testimoniis. Herodotus enim (VI, 103) tradit Cimonem, Miltiadis patrem ἀποθανεῖν ὑπὸ τῶν Πεισιστράτου παίδων οὐκέτι περιεόντος αὐτοῦ Πεισιστράτου, cum tertium ludis Olympicis victoriam rettulisset (524 a. C. n.); postea Pisistratidas eum misisse in Chersonesum. Sed vel antequam Aristotelis Ἀθηναίων πολιτεία ab iniuria oblivionis vindicaretur, Herodotus ipse docere poterat volentem post Hipparchum obtruncatum non Hippiam solum ex Pisistratidis superfuisse: quod in priore huius opusculi editione (pag. 503) ostendi (vide Her. V, 94; VII, 6; VIII, 58 Thucyd. I, 20; VI, 55). — Quid autem significat quod in *b*) est Miltiadem profugisse ante Persas et Scythas? num societatem utrique ad Miltiadem opprimendum inierunt?

γόνεσαν...) exortum esse e corruptela lectionis genuinae τρίτῳ καὶ δεκάτῳ (γ′ ex ιγ′); locum ita emendatum ad ordinem rerum suae interpretationi sane congruentem accommodavit. Nec probabilitatis numeros in hac emendatione inesse negaverim, hac tamen condicione ut si utrumvis τρίτῳ corruptum censeas, utrumque corruptum esse constituas. Hoc multo magis tenendum est explodenti Herbstianam Herodotei loci interpretationem: quamquam, si Herbstiana emendatio probaretur, necesse esset arbitraremur librarium utrunque ιγ′ in γ′ depravasse, aut lectorem parum diligentem et prudentem, cum supra perperam γ′ legisset, maluisse locum sanum corrumpere quam corruptum corrigere. Haud equidem diffiteor hoc fieri potuisse: sed antequam ferrum ad ulcus extirpandum admoveam, censeo medelam adhibendam esse. Vide igitur an ex Ī male exarato potuerit exoriri T, quod perperam per τρίτῳ transcriptum fuerit, aut Γ, quae est numeri III nota. Itaque librarius cui verbum τρίτῳ ex corruptela exortum obversaretur, imprudens falli potuit altero loco, etiamsi intente perlegenti nota facile dispicienda erat (1). Itaque rationibus historicis suffragantur argumenta ex palaeographorum arte petita, atque utraque inter se concinnunt et consentiunt. Nam cum Herodotus tradat δεκάτῳ ἔτεϊ antequam rediret in Chersonesum Miltiades Scythas effugisse, constat omnino sibi eo quod Lemno potitus est — si ipse Lemno potitus est, non Miltiades Cypselides — multo ante Ionum seditionem (2). Unde fit ut Miltiades anno

(1) Id fieri potuisse demonstratione non indiget. Vide apud Harpocrationem δεκαδαρχίαν, quod vocabulum in Demosthenis manuscriptis antiquis temporibus fuisse testatur. Tamen δεκαδαρχίαν ex Δ̄ΑΡΧΙΑΝ exortam esse plerique viri docti consentiunt. Ceterum etsi nullam opem rationes diplomaticae afferunt, nonnumquam scriptorum loci corrigendi sunt.

(2) Eduardus Meyer (*Forschungen der alten Geschichte,* I, 14) demonstravit insulam Lemnum ab Atheniensibus Miltiade duce (fortasse non Μαραθονόμαχον sed Cypselidam, ibid. 16) occupatam esse multo ante Ionum seditionem: cui refragatur I. Beloch (*Griech. Gesch.*, I, p. 351, adn. 2) fretus his quod populus in tribus Clisthenicas distributus fuit (CIA 143, 144) nec novi δῆμοι instaurati fuerunt. Caietanus De Sanctis (Ἀτθίς, p. 291) Eduardo Meyer patrocinatus dicit: « I nomi delle φυλαί e dei demi èrano ormai considerati come intangibili. Le cleruchie condotte dopo Clistene erano distribuite nelle stesse tribù e demi della penisola ». Hoc disputanti C. De S. assentior; tamen vix fieri posse existimo ut, si Lemnus inde a Miltiade Cypselida ab Atheniensibus occupata esset, post ipsam Scythicam expedi-

circiter 494 (1) cum Athenas metu classis Phoenicum impulsus redisset et Chersonesum petisset paulo ante (νεωστί), vix multo ante annum 505, effugere potuerit Scythas, eaque de causa aut eodem anno aut superiore Dareus Scythiam copiis petierit. Haec omni antecapta persuasione remota ex testimoniis libra et exa-

---

tionem solum Pelasgorum mentio iniceretur (Herod. V, 26). Sed a me impetrare non possum ut credam Miltiadem post Persarum victoriam ad Miletum Lemno potiri potuisse. Quae tradit Diodor., X, 9, 6, patefaciunt eius auctorem rerum gestarum seriem et ordinem ex Herodoteis locis VI, 140 sq. pessime intellectis refinxisse. Cornelius Nepos (*Milt.* 2) autem videtur hausisse ex auctore qui insulam Lemnum ante Ionum defectionem in Miltiadis potestatem redactam esse constituerit. Itaque si Cornelius auctorem fide dignum prae se fert cum, postquam enarravit quomodo Miltiades Lemno potitus esset, dicit (*Milt.* 3) « Eisdem temporibus Persarum rex Darius ex Asia in Europam exercitu traiecto Scythis bellum inferre decrevit », nostrae opiniones minime labefactantur, si quidem nihil constat quando Miltiades a Pisistratidis Chersonesum missus sit (Cfr. p. 19 adnot.). Sed vix verba « eisdem temporibus » strictim et presse accipienda sunt apud auctorem qui cum maluisset rivulos consectari quam fontes adire, saepenumero turpissime erravit. Nihilo minus comparandum duco testimonium Nepotis cum Tabulae Capitolinae indicio l. 15-18 « ἀφ' οὗ 'Αρμόδιος καὶ 'Αριστογείτων Ἵππαρχον τὸν τύραννον ἀγεῖλον καὶ Δαρεῖος ἐπὶ Σκύθας διέβη ζεύξας τὸν Κιμμέριον Βόσπορον ἔτη φκη » (ante chronographi aetatem = 242 ab Urbe condita = 512 a. Ch. n.). Quodsi auctor Cornelii Nepotis, Herodotum secutus, testabatur Miltiadem a Pisistratidis Chersonesum missum esse atque iisdem temporibus Dareum Scythis bellum intulisse, veri simile est chronographum Cornelii Nepotis fere aequalem, ex eodem fonte quo Cornelius, hausisse. Quapropter fieri potest ut indicium quod fefellit Dunkerum aliosque recentiores, apud chronographum valere potuerit, ita ut tempus, quo Hipparchus interemptus est, statueret terminum post quem Dareus non potuisset Scythiam invadere. Sed tamen mihi in animo est potius ἀπορίαν proponere quam coniecturam proferre.

(1) Ad tempora inter Ionum defectionem et pugnam Marathoniam discribenda suppetunt disertissima quidem Herodoti testimonia, quae tamen non valent ad tollendam controversiam de minimis. Vide Beloch, o. a., I, 354, adn. 2; Busolt, II², 537, adn. 3. Equidem putaverim non anno sed 495 captam esse Miletum; quod si ponimus, temporum ratio exacta ad Herodoti testimonia congruit cum tempore certissimo pugnae Marathoniae. Ita enim δεύτερῳ ἔτει (VI, 31) exercitus Persarum potitus Chio et Lesbo et Tenedo (494) devertit ad Chersonesum: quod fieri potuit eodem anno. Anno insequenti (493) ἅμα τῷ ἦρι (VI, 43) Mardonius lustratis Ciliciae urbibus et institutis popularibus in Graecis civitatibus conditis, festinavit ad Hellespontum: cum eius classis ῥίγει (VI, 44) naufragium fecisset, veri simile est non hieme

mine perpensis efficiuntur: haec probanda videantur oportet praeferenti Herodotum auctorem veracissimum ἐπιγόνοις, qui, cum Herodotea testimonia recte non intellexissent, perperam eius narrationem refinxerunt, perversam regulam et normam secuti (Vide p. 11 adn. 1 p. 21 adn. pag. superioris): haec eo magis amplectenda sunt, quod indicia quibus viri docti freti putaverunt non post annum 513 Dareum in Scythiam profectum esse, omnia commenticia et inania apparent, valde autem consentaneum est Iones novis rebus coepisse studere ex quo Dareus infeliciter expeditione in Scythia perfecta, quasi profugus in patriam revertisset. Quod si Herodoti locus vulgata lectione perobscurus emendatus nullius praeiudicatae opinionis, sed palaeographorum disciplinae tantum ratione habita, exhibet sensum qui ad omnia, quae historicis testimoniis freti disputavimus, plane accomodatur, nihil dubitandum est quin sententiam sane veri similem patefecerimus.

---

exeuntis anni 493, sed ineuntis — et fortasse progressi — anni 492 ea calamitate Mardonii classem usam esse. Etenim vix spatium paucorum mensium sufficiebat ad omnia efficienda quae Herodotus (VI, 43) memorat, praesertim cum ante naufragium Thasios, quamvis nihil resistentes, et Macedonas in suam dicionem redegisset. Insequenti anno (δευτέρῳ δὲ ἔτει τούτων) VI, 46 ob eamque rem 491 — fieri enim potest ut Herodotus verbo τούτων respexerit tantum ad naufragium potiusquam ad omnia quae Mardonius gesserat — Dareus iussit Thasios diruere muros et legatos misit in Graecas civitates aquam et terram petentes. Anno denique dilapso (VI, 95, αἱ ἱππαγωγοὶ νέες, τὰς τῷ προτέρῳ ἔτει προεῖπε, vide VI, 48) Datis et Artaphernes missi sunt in Graeciam, qui ad Marathonem (auctumno anni 490) cum Atheniensibus conflixerunt. Sed fortasse haec Herodoti indicia nimis non urgenda sunt.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 11 linea 14: litora Graeciae	Graeciae
» 13 » 17: Sed etiamsi facere non possemus	Sed etiamsi facere non possimus
ibid. » 19: statuamos	statuamus
» 15 » 2: (VII, 152)	(VII, 158)
ibid. obiici legatos	obiici legatis
ibid. Atheniensium	sociorum Graecorum
» 16 » 14: Scytiae	Scythiae
ibid. » 25: patrocinatum esse	patrocinatus esse
» 20 adn. 2 lin. 2-3: Μαραθονόμαχον	Μαραθωνόμαχον
» 21 adn. pag. sup. l. 17: ἀγεῖλον	ἀνεῖλον
ibid. adn. 1 lin. 4: non anno sed 495	non anno 494 sed 495
» 22 linea 15: accomodatur	accommodatur

SUPPLEMENTUM.

Pag. 5 linea 11: cummulatam	cumulatam
» » » 18: annum	aetatis annum
» 11 » 1: adhiberi	adhibere
» 12 » 7: Clistene	Clisthene
» 13 » 10 adnot.: quavis	quamvis
» 14 » 6 » V	IV
» » » 10 » »	»
» 15 » 6: exigere	poenam exigere
» 16 » 25: patrocinatum	patrocinatus
» 17 » 15: ad Istrum	super Istrum
» 18 » 1 adnot. 3: Phil.	Phil. XLIX p. 146
» 19 » 16: persuadeamur	persuadeamus
» 20 » 18: erat	esset
» » » 6 adnot. 2: 'Ατιϑίς	'Ατϑίς
» 21 » 3 » pagin. super. X, 9, 6	X, 19, 6,

mine perpensis efficiuntur: haec probanda videantur oportet praeferenti Herodotum auctorem veracissimum ἐπιγόνοις, qui, cum Herodotea testimonia recte non intellexissent, perperam eius narrationem refinxerunt, perversam regulam et normam secuti (Vide p. 11 adn. 1 p. 21 adn. pag. superioris): haec eo magis amplectenda sunt, quod indicia quibus viri docti freti putaverunt non

